





1727, 20 24

IOANNIS ADOLPHI
WEDELII

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORIS
CHIMIÆ ET PRAXEOS PROF. PVBL. ORDINARIII
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM
CONSILIARIII ET ARCHIATRI ET ACAD.
NAT. CVR. COLLEGÆ

H. T.

FACVLTATIS MEDICÆ DECANI
PROPEMPTICON INAVGVRALE
DE
REGULO ANTIMONII
PER SAL ALCALI
OBTINENDO.

Joh. Andr. Wehlicanus

I E N Æ

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.





I. N. 7.

Magnam experimentorum vtilitatem esse, & rationem solam nec in chemicis nec in physicis sufficere, toto die deprehendimus, si feliciter in his progredi velimus scientiis.

Neque tamen etiam sola experimenta nobis satisfaciunt. Nisi enim genuina & sufficiens accedat ratio, vt quælibet phænomena ad causas suas reuocentur genuinas, vel, si hæ, deficientibus datis ad hanc rem necessariis, inueniri haud statim queant, in dubio relinquuntur, in concinna sæpe inde formantur dogmata, a veritate longe recedentia.

Igitur & hic experientia & ratio, vtraque autem genuina, tanquam vera omnis scientiæ fundamenta, iungi debent.

Prius autem, quam vel causas experimentorum inuestigare, vel ipsa ad vltiores vsus impendere, velimus, de ipsa experimentorum veritate constare debet.

Notum

Notum enim satis est, quam multa circumferantur, & transcribantur, quæ tamen, si ipsi admoueamus manus, falsa, imo sæpe contraria, deprehenduntur.

Quandoque tamen etiam ob omissam quandam, vel ignoratam, circumstantiam experimentum haud succedit, quod & in illis quandoque usu venit, quæ quotidie tractamus, vbi haud raro impedimentum prius latitans facit, vt minus sequatur effectus, sæpissime tamen alias visus.

Optimum hinc est, si omnes circumstantiæ, quæ in quolibet occurrunt experimento, notantur, vt rite omnia procedant, & eadem ratione institui possint. Ita enim vera experimenta, contraria prius sibi visa, conciliari possunt facile.

Exemplum huius rei præbere potest regulus antimonii, qui tum alias tartari & nitri additione facta, tum quoque solius salis tartari duplo commixto, fusione mediante obtinetur. Ita enim quotidie tincturam antimonii tartarifatam paramus, & semper notabilem reguli quantitatem vna obtainemus.

Contrarium autem a celeberrimo & in his accuratissimo *Stablio* recensetur in *opusculo chymico-physico-medico* p. 495. iusserunt potius, inquit, recta via rem aggredi, nempe cum quolibet alcali antimonium fundere, atque inde reguli separationem expectare. *Sed cum vix unquam vlla micula reguli inde obtineatur, ad experimenta non succedentia referenda utique fuit speculatio.*

Mirabar, celeberrimo viro experimentum hoc non successisse, & causam huius rei inuestigare studebam,

); 2

cum

cum omnibus salis perspectum sit, quantum huic viro excellentissimo debeat chymia incrementum.

In antimonio causam non hæsisse, exinde certus eram, cum ex quolibet regulus habeatur, adeoque, sal alcali forsitan aliud, quam tartari, fuisse adhibeum, suspicabar. Licet enim in multis inter se conueniant salia alcalia fixa, haud leuis tamen intercedit differentia, cum de sale acido quædam participant, licet in prædominio sit alcali.

Loco itaque salis tartari, vt certus hac de re fierem, adhibui cineres clauellatos, qui alias in multis laboribus chymicis, vt in spiritu vini tartarificato parando, aliisque, illi, eodem cum effectu, substituuntur. Horum duplum antimonio mixtum igne lege artis liquaui, in conum vero effusa massa & refrigerata ne miculam reguli exhibuit. Quandoque tamen, eodem experimento repetito, exiguam, & vix grano seminis milii vel interdum piso minori æqualem, obtinui reguli quantitatem. Eandem autem antimonii quantitatem si cum duplo salis tartari, eadem prorsus ratione, tractauerim, reguli vnciam dimidiam inde haud raro adquisiui.

Cineres clauellatos itaque cum adhibuisse, probabile est, cum hæc assereret, postmodum vero sine dubio deprehendit, cum aliis puris alcalibus rem procedere, vnde in *fundamentis chymia* p. 197. §. 5. eundem processum describit, & simul in apice conii regulam reperiiri, confirmat.

Ratio autem huius differentia in eo consistit, quod cineres clauellati, vt vulgo prostant, non sint purum sal alcali, sed magnam quantitatem salis mediæ in se continent

tineant ut celeb. *Stablius in Opusc. cbimic. physic. med. p. 318.* obseruauit.

Sal autem hoc medium magis ad sulphnr commune generandum, quam ad sulphur antimonii superfluum, & secessum reguli impediens, imbibendum, aptum est, quod ibidem & seqq. fusius & accurate demonstrat, adeoque reguli fusionem & separationem porius impedit, quam promouet.

Purum autem sal alcali, cum imbibendo & separando sulphuri antimonii laudato aptius sit, secessum & separationem hanc iuuat, vt & experimentum confirmat; adhuc vero melius id efficit, si carbonibus iungatur, vbi & reguli sulphur, ad fusionem necessariam, partim augeatur, partim defenditur, ne ita prompte absumatur, quod *ibid. p. 496.* proponitur.

Adeoque ita exire ex dubio illo licet, quod ne aliis quoque impedimento sit, euoluere iam placuit, & quidem occasione dissertationis inauguralis de HÆMORRHOÏDIBVS clarissimi Medicinæ Doctorandi

IO. ANDRÆ WISLICENI.

In lucem is editus est Schönburgi, prope Numburgum, d. x. Febr. M DC XXVIII. Patre reuerendo Dn. IO. WISLICENO, Hungaro, pastore ibidem emerito; matre MARIA DOROTHEA Dn. WOLFFII, quon-

quondam collectoris vectigalium & reddituum camera-
lium Serenissimi Principis Eisenbergensis, filia, anno
M DCC XXI. beate defuncta.

Horum cura primitus priuata præceptorum forma-
tione vsus, postmodum Eisenbergensi scholæ traditus,
est, vbi curam eius gesserunt Clarissimi viri, Dn. WEISEN-
BORNIUS p. m. & Dn. GOTTERVS, Rectores, & Dn. M.
WELCKERVS, Conrector. Aliquot præterlapsis annis ad
scholam Senatoriam Numburgensem se contulit, & do-
ctrinas sibi necessarias ibidem hausit, docentibus Viris
Clarissimis, Dn. LUDOUICO CHRISTOPH BLISSIO, Rectore
& Dn. HEINSIO p. m. Conrectore.

Maturioribus studiis redditus nostram Salanam pe-
tijt, & anno M DCC XIX. d. x. Augusti, me t. t. Pro-Re-
ctore, in album academicum insertus est.

Philosophicis disciplinis hic operam dedit, & pu-
blice docentes Professores excellentissimos auscultauit.
Priuatim Excellentissimum Dn. Prof. STRBIVM, præ-
cepta logica explanantem, Excellentissimum Dn. Prof.
WIDEBVRGIUM, disciplinas mathematicas exponen-
tem, & Summe Reuerendum atque Excellentissimum
Dn. D. & Prof. WALCHIUM, cursum, quem vocant,
philosophicum tradentem, securus est.

Medico in foro beati Parentis mei, Dn. GEORGII
WOLFFGANFII WEDELII, doctrinas, dum publice
demonstrationes chemicas ad ductum compendii sui tra-
deret, priuatim vero Theoremata medica enuclearer,
hausit. Excellentissimi quoque Dn. D. IO. HADRIANI
SLEUDGTII, p. m. collegia publica botanica & anatomi-
ca,

mica, & priuatam chemicum cum operationibus plurimis, viftrauit. Excellentissimi porro Dn. D. IO. IACOBI FICKII lectionibus chirurgicis, & anatomicis in compendium Heifteri, publice habitis, interfuit. Non minus Excellentissimi Dn. D. HERMANNI FRIDERICI REICHMETERI lectiones physicas experimentales, anatomicas, physiologicas, chirurgicas & chemicas priuatim; publice vero medico-legales, audiuit. Nec omisit Excellentissimi Dn. D. SIM. PAULI HILSCHERI collegia botanica, physiologica, de formulis praescribendis, publice habita, & de materia medica priuatim traditum, in vsus suos conuertere. Inter meos quoque auditores locum occupare ipsi placuit, cum publice pathologiam, semioticam, methodum conseruandi sanitatem, methodum medendi, & materiam medicam, priuatim autem beati Dn. Parentis exercitationes semiotico-pathologicas, explicarem.

Magis adhuc profectus suos vt augetet d. XXVII. Octobr. M DCC XXIV. Lipsiam accessit, a Magnifico r. r. Rectore, Dn. CHRISTIANO LUDOUICI, S. S. Theol. D. Logic. P. P. O. in numerum ciuium academicorum receptus. Ibi ex ore pependit Excellentissimi Dn. D. POLTCARPI GOTTLIEB SCHACHERI, collegium practicum publice habentis; Excellentissimi Dn. D. MICHAELIS ETTMÜLLERI, casuale exercitium in nosocomio, tum ægros visitando tam iisdem remedia praescribendo, exhibentis. Sectiones cadauerum humanorum, in theatro publico ab Excellentissimo Dn. D. AUGUSTINO FRIDERICO WALTHERO institutas, accessit

cessit sedulo. Sub ductu Experientissimi Dn. D. 10. AUGUST. HEINICHEN, huius ægros quosdam visitare, deque morbis eorum & curatione verba facere, ipsi licuit, qui etiam bibliothecæ suæ ac laboratorii chimici vsum nostro beneuole concessit.

Hac itaque ratione ad maturitatem perducta fuere eiusdem studia, quæ exploranda nobis in examinibus solennibus exhibuit, cum summos in arte nostra honores modeste efflagitaret. Sufficientia vero eadem cum deprehenderimus, repulsam ferre haud potuit, sed concessum potius, idque ex merito, ipsi est, ut d. 1 x. huius Mensis sub meo præsidio laudatam defendat dissertationem.

Igitur, vt Magnificus Academiae Pro-Rector, Illustrissimi Comites, Patres Academiae Excellentissimi, omniumque Ordinum Hospites honoratissimi, splendorem huic actui addere dignentur, submisit, officiose, humanissime ac peramanter rogo atque contendo.

P. P. sub sigillo Facultatis d. vi. April

M DCC XXVII.



m
ch
dtz
an,
gen
eit,
be
rück
daß
sche
Weld
seun
ung
ihni
bilz
die
llen,
und
nicht
b es
heils
erden
auff

blo-
acci-

m in d
t in)





ULB Halle
006 832 288

3




SB

VLB kat 12

VLB







B.I.G.

Farbkarte #13

1727, 20 24

ANNIS ADOLPHI
WEDELII

S. ET MEDIC. DOCTORIS
ET PRAXEOS PROF. PVBL. ORDINARIII
NISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM
ILIARIII ET ARCHIATRI ET ACAD.
NAT. CVR. COLLEGÆ

H. T.

LTATIS MEDICÆ DECANI
OPEMPTICON INAVGVRALE

DE

GULO ANTIMONII
ER SAL ALCALI
OBTINENDO.

Joh. Andr. Wislicenus

I E N Æ

LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

